

nisi gravi de causa exemplo Patriarcharum, Prophetarum, Christi Domini, ejusque sequacium, sobrie, ambiguum elusione, & æquivocatione proba, licere se discrimini subducere. Ut necessarium ita laudabile esse, nulla lege vetitum, nonnunquam vera non dicere: Nunquam autem pro vero falsum supponere, quia odibilis est Deo mendax & mendacium. Hæc & similia nobis objiciuntur, ac si à nostris non ad oculum ex eorum scriptis & quotidiana praxi demonstratum esset, videantur Hodom. spiritus Pap. p. 1441. & seq. ibique citati præsertim B. Meisnerus part. 3. Philos. sobr. sect. 1: c. 7. p. 500. & seqq. qui omnia & auctoribus suis & exemplis disputat, & sole meridiano clariora apparebunt omnia.

Imo ipse *Sandæus* in hac ipsa commentat. 8. similia non tantum adducit, sed & approbat: Concedit reservationem mentalem esse licitam, sed si sobrie ea utaris & legitime, quod nos concessimus si sc. *reservatio sit ἀποκάλυψις necessario subintellecta, natura rei connexa.* Adducit tamen ad confirmationem suæ thesæos inter alia Innocentissimum, sic habent ejus verba, virum. Franciscum Assisiatem, aut genuini candoris alium, qui cum ab inimicis insequentibus quæreretur quispiam ad mortem, dextra manu in sinistram manicam & sinistra in dextram occulte immissa, dixisse sciscitantibus quo fugisset Adversarius: non transivit hac, subintelligebat per manicam illustri æquivocatione cum illi rogassent devia. Illustris certe reservatio, quam subodorari nequit nisi qui nasum Rhinocerotis habet. Approbat juxta communem Pontif. sententiam ejusmodi reservationes, *nescio ut tibi dicam, non habeo ut tibi communicem &c.* quæ tamen in se habent mendacium proprie dictum, cum iis prudentissimus etiam verborum æstimator falli queat: Imo verissima ut docet D. Dannh. in Hodom. Pap. sp. 1453. orationis externæ & internæ contradictio, scio non scio. *Sandæus* tamen has præstigias consecrare conatur exemplo Christi; Patrocinator inquit nobis *ἀυτοαλήθεια* Iesus Christus, mendacii mendaciorumq; Patris interfector, cujus exemplum si sequamur, errare nō possumus. Is Matth. 24. 36. De die inquit illa & hora nemo scit, nec Angeli cælorum, nisi solus Pater; Marc. 1. 31. etiam filius, excluditur: Neque filius nisi Pater. Quomodo neque Filius in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi Coloss. 11. 3. Hoc non ignorabant Apostoli, itaque suspicari poterant, sententiam esse  
diffici-